

thæ. Ut locus emolliatur, vellem semper addere aliquid croci, quod emollit, sed intensius: sicut & myrrha, bdellium, & alia quæ sunt in secundo gradu emollientia: sed magis ad mollientia in primo gradu declinarem. Et hæc puto sufficere pro curatione huius viri: & non fiant hæc vno aut altero die, sed semper & multo tempore. Item faceré linimentum ad partes extrinsecas circa auré cum emollientibus: nam longo successu temporis etiam hæc devenirent ad locū affectum. Abstineat ab omnibus stillicidiis, & aquis calidis. Ratione ventriculi, de quo conqueritur, posset potare illas aquas in modica quantitate, defendendo hepar & renes, ne calefiat totum corpus.

CONSILIVM LXXVII.

De surditate & tinnitu aurium.

MAGNIFICVS quidam surditate & tinnitu aurium laborabat, quare præmissa totius euacuatione, caput deinde purgabat per nares. Nam attrahere cogebatur in caput brodium pulli, indito calamo in nares, cui admista erant.

R. Succu blitis ꝑ ij.

Aquæ maioranæ ꝑ ij.

Olei amygdalarum dulcium ꝑ j.

Nam cum succus blitis sit calidus, resoluit & attrahit: & ne vis restinguatur, addita est aqua maioranæ: deniq; ad erosionem prohibendam, adiectum oleū. Purgauerat plus phlegmatis, quam quisquam facile credat, & surditate atque tinnitu liberabatur. Postremò caput calidis & exiccantibus lauari triduo post volebat.

CONSILIVM LXXVIII.

Ex sententia Montani datum à Bastiano Lando cuidam surdo 1549.

PRIMUM vsus est resina terebinthina & quodam pulvere, qui est, R. foliorum vitis rom. marini, saluæ, chamomillæ rosarum siccarum ana m. iij. Antequam proficiscatur ad thermas, debet vti tali purgatione. R. Agarici præparati ꝑ ij. specierū hieræ s. ꝑ ij. floris casisæ ꝑ v. misce cū zuccharo, fiat bolus. Post assumptum duabus horis capiatur iusculū ex pullo, deinde prandeat tribus horis post. Altero die sumat sacchari rosati ꝑ j. horis quatuor ante prædium. vesperi hora 21. iubeat abluere caput cum lixiuio dulci, in quo hæc decoquantur. R. agarici crudi ꝑ j. rosarum rubearum, myrtorum, verbenæ m. j. quibus addatur fursurum ligatorū in petia, quantum satis. Post hanc ablutionem vesperi antequam eat cubitum, abluat pedes ex aqua dulci, in qua sit decocta chamomilla. Tertio die accedat thermas, & illic interquiescat: sequenti die capite abrafo diligenter accipiat stillicidium, sicut à Montano præceptum est. hoc factò, post quatri-duum admoneat quid leuaminis sentiat. Peracto toto stillicidio incipiat vti oleo ex pice nauali, cui ego addi iubeo galbanum, vt fiat maior recremen-
torum, quæ stupefaciunt caput, consumptio, & vt sint partes æquales vtriusque. Vtatur victus

A ratione, quali ægrotantes solent vti: id est, cibis facilis concoctionis, qualis est caro pulli & vituli: à fructibus omnibus prorsus abstineat, & à piscibus, & omnibus humidis rebus, & præcipuè ab aromatis, & quæ caput infestant.

CONSILIVM LXXIX.

De Parotide.

X decocto chamomillæ, anethi, liliorum alborum ana q. s. fiat fomentum cum spōgia actu calida: idq; bis aut ter. Postea locus inungatur hoc vnguento.

R. Olei amygdalarum amararum
Chamomælini
Pinguetinis anseris
Galli q. s.

Misce, & inungatur locus diligenter sæpius in die, vt semper sit humidus. Fiat etiam pessulum ex bombice, & inbutum eodem vnguento mittatur in auré. Iuuabit ad maturationem. Post biduum cum intumesceret locus, & mollis esset, ita vt ad suppurationem venturam speraret: iussit suppurationibus vti, & apponi à chirurgo quæ ad suppurationem deducerent: vt est, farina hordei, vel mica panis. Chirurgus applicuit emplastrum ex caricis, passulis, fermento, & axungia æqualiter mistis. Id resoluit, ita vt ad salutem vergeret. Vfus est deinde deinde fomento.

MONTANVS dixit.

D Parotides post febres aut durate febrim inter malignos morbos referendas, & egrè curari: ex 10. vii 6. euadere: & illis etiã sæpius redire, ac difficulter curari. Si aut sine febre sunt, minus malignas esse.

CONSILIVM LXXX.

Pro struma gutturis.

IRCA ratione victus, vitetur aqua cruda, frigida, cibi crassi, & visci: vtatur aqua cocta, aut vino paucifero. Octavo quoque die, id est, quater in mense accipiat agarici præparati ꝑ j. s. vel ꝑ ij. in forma pillulari sub decubitu, modò vesperi incœnatus dormiat: primis octo diebus à principio, lambendo mane, sumat mellis rosati ꝑ j. vel ij. postea loco huius oxymellis scillitici tantundem per quindecim dies. Exterius verò applicet linimentum tale.

R. Ammoniaci Bdellij

Hysopi humidæ ana ꝑ ij.

Adipis porcine eiusdem anni ꝑ ij. Croci ꝑ ij.

Dissoluantur gūmi in aceto, deinde reliqua misceantur secundum artē, & cū modico cere fiat linimentū. Ac cū voluerit locū abluere, vtatur ad hoc vino albo. In simili affectione hoc consuluit.

Fiat fomentum in loco, cū decocto chamomillæ, anethi, & radicum althææ, spōgia in eo madefacta. Deinde inungatur vnguento dialthææ, & applicetur lana succida, & hoc bis in die. Deinde

R. Agarici præparati

Rhabarbari electi ana ꝑ ij.

Garyophyllorum Nucis muschatæ

Zingiberis ana ꝑ ij.

Puluerizentur, deinde misceantur & fiat magdaleon, de quo pro singula 3. fiant pillulæ tres, quas sumat bis in septimana, hora vna ante cœnā.